

byssus (olim שֵׁשׁ), אֱלֹהִים Deus (pro אֱלֹהִים), אָמַר verbum (pro אָמַר), אִישׁ homo (pro אָדָם), סֵפֶר scriptura, liber (סֵפֶר), מְדַבֵּר commentarius, נָשָׂא אִשָּׁה uxorem duxit (olim לָקַח אִשָּׁה), מְדִינָה provincia, רַב princeps, in nova Hebr. doctor, magister (olim שֹׁרֵר). Deinde terminatio feminina ת per apocopen abjecta, e. g. רַבּוֹת pro רַבּוֹת multitudo, myrias; scriptio plena pro defectiva, e. g. דְּוִיד pro דָּוִד; item aleph prostheticum, e. g. אִישִׁ pro אִישׁ; voces prolongatae praesertim inserta liquida ך, e. g. דַּמַּשְׁקַךְ Damascus pro דַּמַּשְׁק.

Immo post exsilium etiam nonnullae voces Graecae in lingua Hebraica inveniuntur. קִיְתָרִים cithara, פְּסַלְטֵרִין psalterium et סִמְפֹּנְיָה symphonia). Absentia tamen vocum in libris antiquis non est certum criterium novitatis ac barbarismi, quia libri antiquiores partem tantum vocum ac phrasium antiquarum continent.

Lingua Chaldaica seu Aramaica, mox autem, maxime a tempore Machabaeorum, lingua Graeca Hebraicam adeo mutavit, ut aetate Christi iam nova dialectus, scilicet lingua nova Hebraica in scholis nata esset (lingua Mišnae), immo in quotidianae vitae consuetudine lingua Hebraica Aramaicae locum cesseret.¹

3. — *Lingua Graeca* librorum sacrorum *A. et N. Testamenti* graece scriptorum (et LXX. interpretum) est *dialectus vulgaris melior hebraizans*.

Tempore scilicet Alexandri M. ejusque successorum lingua Graeca antiqua propter suam per gentes diffusionem² et linguarum barbararum contactum magnam passa est mutationem. Tunc temporis natae sunt *dialectus communis* (ἡ κοινὴ) seu Ἑλληνικὴ διάλεκτος) et *dialectus vulgaris*.

Dialectus *communis* erat lingua litterarum, cujus pars prima ac maxima fuit dialectus Attica, subtilitate et elegantia privata, cui voces formae ac leges aliarum dialectorum, immo sermo provinciarum erant commixta. Ea dialecto exinde eruditi et scriptores utebantur. Interea in vita communi et commercio lingua *vulgaris* orta est, priori similis sed magis adhuc depravata, in qua omnes dialecti et multi barbarismi (praecipue semitismi) in unum erant confusa, rarius etiam grammatica corrupta, ita tamen ut dialectus Macedonica (in Aegypto praeter eam Dorica)

¹ Libros quidem sacros Judaei in synagogis hebraice praelegebant, sed aramaice interpretabantur. Conf. Neh. 8, 8. Idem testantur Talmud et rabbini.

² Cicero dicit: »Graeca (scripta) leguntur in omnibus fere gentibus Latina suis finibus, exiguis sane, continentur.« Orat. pro Archia poeta.

praevaleret. Dialectus vulgaris in oriente duplicem induit formam: *Alexandrinam* et *Syriacam seu Palaestinensem*.

Jam lingua librorum A. Testamenti graece scriptorum et versionis LXX. interpretum item librorum N. Test. est *melior forma dialecti vulgaris Alexandrinae hebraismis referta*; verum lingua librorum N. Test. etiam dialecto vulgari *Palaestinensi* est affecta. Similis est lingua aliarum versionum Graecarum antiquarum. Lingua haec Judaeorum Graeca hebraizans vocatur etiam *Hellenistica*, de Hellenistis, i. e. Judaeis graece loquentibus. (Sed lingua Philonis et Josephi Flavii jam dialectus communis est aliquantulum hebraizans). Non tamen lingua omnium librorum sacrorum, ut per se intelligitur, aequalis est; sed puritas et bonitas linguae ex eruditione, linguae cognitione et fontibus auctorum vel interpretum pendet. Versio Alexandrina magis quam N. Test. hebraismis abundat. N. Testamentum etiam linguae Latinae, tempore apostolorum maxime in occidente vernaculae et religionis Christianae, novas ideas inducentis vim experta est. Erraret tamen, qui crederet, linguam illam Graecam hebraizantem a sacris scriptoribus, linguae Graecae imperitis et aramaice cogitantibus esse productam; lingua enim illa multo ante inter Hellenistas orta et in suo genere perfecta, promptam se praebuit LXX interpretibus et apostolis.

Mirabile est saeculo XVII. quosdam protestantes antiquam linguae Graecae N. T. puritatem et elegantiam (classicam ut dicitur) asseverasse eo nixos argumento, quod auctores profani iisdem ac scriptores sacri, verbis, phrasibus et structuris usi essent. (*Puristae*). Ita Seb. Pfochenius, Ch. Sig. Georgi, J. Conr. Schwarz, B. Stolberg et alii. Qui iis restiterunt, *Hebraistae* vocabantur. — At barbarismus linguae Graecae biblicae rei peritis tam evidens est, ut nulla demonstratione indigeat. Ceterum linguam elegantem aequales apostolorum dialecto communi et hebraizanti assueti nec bene intellexissent.

§. 23.

Hebraismi grammaticales in lingua Graeca biblica et versionibus.

Lingua S. Scripturae Graeca et linguae versionum antiquarum hebraismis abundant, quorum multi ipsas populorum Christianorum linguas ita penetrarunt, ut formae illarum nativae videantur. Multi tamen hebraismi potius tropis rhetoricis quam

barbarismis adnumerandi sunt. Sicut alii barbarismi, ita etiam hebraismi alterutram linguae partem: grammaticam aut lexicon corrumpere solent. Alii ergo hebraismi sunt grammaticales (et syntactici), alii lexicales. Grammatica tamen constantior est, quam lexicon; et quo linguae inter se sunt dissimiliores, eo minus structura earum grammatica confunditur.

Per hebraismos *grammaticales* in textu Graeco vel in aliqua versione intelliguntur formae vocum et structurae propositionum, non ad regulas linguae orationis, sed ad rationem et leges linguae Hebraicae factae. Hebraismi veri, idest philologici (non tropi rhetorici) nobis minus familiares et intellectu difficiliores sunt sequentes.

1. In substantivis.

Numerus dualis in versione LXX sicut in lingua Hebraica praeterquam ad membra paria significanda vix unquam adhibetur. In Novo Test. plane deest, quia etiam in lingua Aramaica rarissimus est.

Genus femininum (rarius masculinum) in lingua hebraizante pro neutro usurpatur, quando res generatim vel abstracta est significanda.

E. g. unam (rem, vel unum) petii a Domino hanc requiram (Ps. 26, 4. similiter Ps. 118, 50.); haec facta est mihi (Ps. 118, 56.); a Domino factum est istud (תַּחַת אֵינִי) et est mirabile (הֵיאָה מְרַאשִׁי, θαυμαστή) in oculis nostris (Ps. 117, 23. Matth. 21, 42.).

Mos est Hebraeis *substantivo abstracto pro concreto* uti.

E. g. Circumcisio et praeputium = circumcisis et praeputiatis seu Judaeus et gentilis; eratis tenebrae i. e. obtenebrati, nunc estis lux = illuminati.

Hebraismi habendi sunt *genitivi objectivi*, Graecis et Latinis insoliti, saltem apud eos rarissimi, scil. genitivus causae efficientis, finis, effectus, subjecti recipientis, objecti patientis, contenti et similis. Sed de his simul cum aliis genitivi speciebus infra sermo erit.

Linguae Hebraicae atque hebraizanti peculiaris est *dativus communitatis*.

E. g. Quid tibi et paci? מַה - לְךָ וְלְשָׁלוֹם (IV. Reg. 9, 19.), i. e. quid tibi cum pace? quid mihi et vobis est filii Sarviae? מַה - לִי - וְלְכֶם בְּנֵי צְרִיפָה (II. Reg. 16, 10.), i. e. non consentio vobiscum. Quid nobis et tibi, τί ἡμῖν καὶ σοί (Matth. 8, 29.), scil. quid rei nobis tecum est; nihil tibi et justo illi (Matth. 27, 19.), i. e. nihil tibi causae sit cum eo; quid mihi et tibi mulier? τί ἐμοὶ καὶ σοί, γύναι (Joan. 2, 4.), i. e.

quid mihi hac in re tecum commune est? hac in causa imperio tuo subjectus non sum. (Alii aliter interpretantur.) Similes locutiones: Jos. 22, 24. Jud. 11, 12. III. Reg. 17, 18. IV. Reg. 3, 13. II. Paral. 35, 21. Joel. 3, 4.

Lingua Hebraica (sicut aliae Semiticae), subjectum vel aliud vocabulum emphaticum *absolute i. e. sine congruentia* sententiae praemittere solet, etquidem in nominativo, dativo vel accusativo. (*Nominativus, dativus vel accusativus absolutus*). Ejusmodi phrasis complenda est verbis: quoad, quod attinet.

E. g. et pueri illi יְהוָה לָהֶם (ad pueros illos) quattuor (quod attinet), dedit eis לָהֶם Deum scientiam. (Dan. 1, 17. in Hebr.). Malos (quod ad malos attinet) male perdet (eos), κακὸς κακῶς ἀπολέσει αὐτούς. (Matth. 21, 41.). Lapidem (ad lap. quod attinet), quem reproba-verunt aedificantes, hic (lapis) factus est in caput anguli. (Matth. 21, 42.) Vincens ὁ νικῶν, dabo ei sedere mecum in throno meo. (Apoc. 3, 21. similiter 3, 5. 12.). Vox emphatica ita praemissa aliquando praepositionem habet, quae postea cum suffixo pronomine repetitur et *pleonasmus pronominis* nascitur. E. g. Gen. 2, 17. וַיֹּמַר ה' הָאֵץ לֹא תֹאכְלֶנָּה מִמֶּנּוּ et ex arbore scientiae (boni et mali) ne comedes *ex ea*.

2. In adjectivis.

Adjectivum saltem verum et proprie dictum linguae Hebraicae deest, sed exprimitur *substantivo* qualitatis abstracto in statu absoluto (rarius constructo). Eandem linguae Hebraicae legem etiam versiones imitantur, et hujusmodi genitivus qualitatis vice adjectivi fungens, vocatur *gen. adjectivus hebraizans*.

E. g. judex, villicus iniquitatis = judex, villicus injustus, corpus mortis = corpus mortale, regnum dilectionis filii tui = regnum dilecti filii tui, mammona iniquitatis = mammona iniqua, verba gratiae = verba gratiosa, spiritualia nequitiae = spiritus nequam, judicia justitiae tuae = judicia (praecepta) justa tua.

Quum lingua Hebraica *comparativo et superlativo* careat, gradus isti variis circumlocutionibus designantur.

a) Comparativus exprimitur positivo quem praepositio comparativa הַ עַבְדְּךָ, ab, ex, prae vel הַ הַן quam, sicut sequitur; superlativus autem positivo, cui genus superatum in genitivo partitivo vel cum praepositione הַ עַבְדְּךָ, in, vel הַן nonnunquam cum voce omnes, omnibus adjicitur.

E. g. Bonum טוב est confidere in Domino quam הַן confidere in homine; bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus

(Ps. 117, 8. 9.). Bonum tibi est *καλόν σοί ἔστιν* cum uno oculo (debilem vel claudum) in vitam intrare, quam *ἢ* duos oculos (duas manus vel duos pedes) habentem mitti in gehennam ignis (Matth. 18, 8. 9.). Deinde parvus filiorum ejus = minimus; benedicta tu in mulieribus = mulier maxime benedicta es tu.

b) Rarius superlativus comparativo et genitivo partitivo exprimitur; e. g. Matth. 13, 32. granum sinapis minus *μικρότερον* est omnibus seminibus, *πάντων τῶν σπερμάτων*.

c) Superlativus etiam simplici positivo per excellentiam dicto significatur. E. g. hic erit magnus sc. maximus (Luc. 1, 32.); quod est mandatum magnum in lege? scil. maximum. (Matth. 22, 36.).

d) Satis frequens est periphrasis superlativi per voces *Deus* (Elohim), *corona* aut per geminationem (statum constructum et absolutum) vocis.

E. g. montes Dei = montes altissimi, quasi ad coelum vel Deum usque pertingentes, (mons Dei tamen aliquando significat Horeb vel Sinai). Nemrod erat robustus venator coram Domino = robustissimus venator, cujus fama et potestas Deo ipsi notae essent (Gen. 10, 9.); Ninive fuit urbs magna Deo = urbs maxima (Jon. 3, 3.). Similiter cedri Dei = altissimae (Ps. 79, 11.), validus et robustus Domino = validissimus (Is. 28, 2.), venustus Deo = longe venustissimus (Act. 7, 20.) Corona gloriae, sapientiae, laetitiae = maxima gloria, sapientia, laetitia. Sanctus sanctorum et sanctum sanctorum = sanctissimus, sanctissimum, servus servorum = infimus servus, rex regum = rex potentissimus, caligo tenebrarum (*ὁ ζόφος τοῦ σκότους* II. Petr. 2, 17.) = tenebrae crassissimae.

e) Peculiaris superlativi circumlocutio est infinitivus absolutus aut nomen verbale cum alio infinitivo vel tempore finito; cui phrasi in Graeco respondet dativus, objectum internum, participium, nomen verbale (in Latino ablativus modi vel instrumenti, vel accusativus, vel vero participium, gerundium, nomen verbale) cum infinitivo vel tempore finito. E. g. Morte morietur *מֵתָ יָמֵהּ מֵתָ, θανάτῳ τελευτᾶν* = crudeliter interfectus vel inevitabiliter morietur, desiderio desiderare *ἐπιθυμῶ ἐπιθυμῶν* = vehementissime desiderare, desolatione desolari = acerbissime desolari; juramentum jurare, pugnam pugnare; fugiendo fugere = celerrime fugere, videntes videant, auditu audire etc. Saepe nomini verbali (in accusativo, dativo vel ablativo) etiam adjectivum additur; e. g. timuerunt timore magno *ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν* (Luc. 2, 9.); gavisii sunt gaudio magno valde. (Matth. 2, 10.).

3. In numeralibus.

Ad exemplum linguae Hebraicae et Aramaicae nonnunquam etiam Graeca biblica et versiones numeris *cardinalibus pro ordinalibus* utuntur. E. g. dies unus, *יָמִים אֶחָד* (Gen. 1, 5.), una sabbatorum *τῆς μιᾶς σαββάτων* (Marc. 16, 2.). — Deinde numeralia *distributiva* in graecitate biblica et versionibus more Hebraeorum reduplicatione cardinalium significantur. E. g. duo duo *δύο δύο* = bini (bene graece *ἀνὰ δύο*). — Notandum adhuc est, numeris *septem, quadraginta* et *mille* sicut in Hebraica, ita etiam in lingua hebraizante numerum indefinitum vel multum nonnunquam designari:

4. In pronomibus.

Pronomen *possessivum* in Bibliis contra indolem linguae Graecae more Hebraico usurpatur juxta nomina membrorum et actuum hominis. Ita dicitur: elevat manus suas, oculos suos, unge caput tuum, etc. Deinde forma hebraizans est haec pronominis *interrogativi*: *εἰς τί?* ad quid, quare? *לְמַה?* Pronomen *indefinitum* juxta partitivum suum saepe omittitur; e. g. ex illis sc. aliquos *τινὰς* occiditis. Conf. IV. Reg. 10, 23. (e servis Domini sc. aliquis) et Dan. 8, 10. (de stellis sc. aliquas). Pronomen *reflexivum* in actionibus animi circumlocutione exprimitur. E. g. *ἐν ἑαυτῷ* in semetipso (e. g. cogitavit), *ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, τῷ πνεύματι αὐτοῦ*, in corde suo, sicut Hebraicum *בְּלִבּוֹ* vel *בְּרוּחוֹ*.

Septuaginta interpretes omnia fere suffixa (verbo *αὐτός*) reddere solebant. Idem imitantur scriptores N. T.; quo fit ut pronom. pers. imprimis in casibus obliquis saepe abundet. (*Pleonasmus pronominis*). E. g. Ps. 40, 4. Matth. 5, 40. 8, 23. Luc. 6, 20. Joan. 2, 23.

Notandum est pronomina aliquando non voci, ad quam pertinent, sed *alteri substantivo*, vim adjectivi habenti apponi. E. g. populi abominationum istarum = populi abominabiles isti, urbs sanctitatis tuae = urbs sancta tua; quis me liberabit de corpore mortis hujus? = de corpore hoc mortali; corpus humilitatis nostrae = corpus humile nostrum.

Pronomen *relativum* in sermone Hebraico et hebraizante vario modo, nobis satis insolito, significatur. Et quidem relativum exprimit conjunctio *et, καὶ* cum pronomine *demonstrativo* sequente. E. g. quidam Judaeus erat et nomen ejus (= cujus nomen) Mardocheus; erat ibi homo et manus ejus dextra *καὶ ἡ χεὶρ αὐτοῦ* erat arida. Deinde apud Hebraeos relativi obtinet locum etiam *pronomem interrogativum* *מַה?* quid? E. g. dixit: quod *מַה?* vidistis, feci (Jud. 9, 48.); similiter in Graeco

Marc. 14, 36. ἀλλ' οὐ τί ἐγὼ θέλω, ἀλλὰ τί σὺ, non quid (quod) ego volo etc. Pronomen relativum aliquando etiam *conjunctione* (vel antiquo relativo) ׀ et suffixo sequente exprimitur; sed haec vox in alienis linguis pronomine relativo redditur. E. g. Gen. 3, 19. 4, 25.

At frequentissimus est usus *pronominis relativi* ׀, quod in Hebraico praepositiones rarius, suffixa autem nunquam assumit, sed sine designatione numeri, casus aut personae meram relationem indicat. Numerus ergo, casus et persona relativi declarantur, pronomibus, suffixis, praepositionibus vel voce ׀ = *ibi*, relativum sequentibus.

E. g. *in quo* hebraice = *quod in eo* ׀; *ubi* = *quod ibi* ׀; *in quo semen suum* = *quod semen suum in eo* ׀ (Gen. 1, 11.). (Similis est constructio relativi *that* in lingua Anglica). Quae constructio singularis saepe in linguam Graecam hebraizantem (rarissime in versionem Latinam) translata est ita, ut pronomini relativo succedat pronomen personale vel demonstrativum superfluum modo solum, modo cum praepositione. (*Pleonasmus pronominis.*) Versio LXX. exemplis scatet. Ita Ex. 4, 17. 36, 1. Lev. 22, 4. III. Reg. 13, 10. Jes. 1, 21. etc. Deinde in N. Test. γυνή . . . ἣς εἶχεν τὸ θυγάτριον αὐτῆς πνεῦμα ἀκάθαρτον (Marc. 7, 25.), mulier, cujus habebat filia *ejus* spiritum immundum; vel τὰ ἔθνη, ἐφ' οὓς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μου ἐπ' αὐτούς (Act. 15, 17.), gentes, super quas invocatum est nomen meum *super eas*; οἷς ἐδόθη αὐτοῖς ἀδικῆσαι τὴν γῆν (Apoc. 7, 2.) (clamavit quatuor angelis), quibus datum est *eis* nocere terrae; ἰδοὺ, ὄχλος, ὃν ἀριθμῆσαι αὐτὸν οὐδεὶς ἠδύνατο (Apoc. 7, 9.) ecce turba, quam dinumerare *eam* nemo poterat; ἐπὶ ὄρη, ὅπου ἡ γυνὴ κάθηται ἐπ' αὐτῶν (Apoc. 17, 9.) septem montes, ubi mulier sedet *super eos* (super quos sedet). Similiter Marc. 6, 55. Apoc. 12, 14. 13, 12. Ejusmodi pleonasmus pronominis, minus conspicuus, etiam in versionem Latinam transivit Matth. 3, 12. cujus οὐ ventilabrum in manu sua αὐτοῦ (sui); deinde Matth. 13, 12. qui ὅσους non habet, et quod habet auferetur ab eo ἀπ' αὐτοῦ.

5. In adverbis.

Adverbia quoque multiplicem habent usum hebraizantem. a) Saepe adverbia *nominibus* (sine vel cum praepositione) exprimuntur, sicut Hebraei nominibus pro adverbis uti solent. E. g. παρόρησα palam, ἐν ἀληθεία, ἐπ' ἀληθείας vere, ἐν ἰσχύϊ fortiter, *in finem* ׀ = *in perpetuum*, ex toto, penitus, *in idipsum*, ἐπὶ τὸ αὐτό vel ἅμα, ׀ una, simul. b) Adverbia variis *circumlocutionibus* designantur. E. g. εἰς τὸν αἰῶνα in aeternum, ׀ semper, ἐκ τοῦ αἰῶνος οὐκ nunquam, ׀ οὐτε

ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι, οὐτε ἐν τῷ μέλλοντι neque in hoc saeculo, neque in futuro, id est absolute nunquam (etiam in Talmude), ἕως θανάτου, מָוֶת - עַד usque mortem i. e. vehementissime, πρόσωπον πρὸς πρόσωπον ׀ - ׀ facie ad faciem, seu immediate, os ad os ׀ - ׀ immediate, penitus. Similiter: in saecula saeculorum, in generationes generationum significant in perpetuum. c) Adverbia more Hebraico *componuntur*. E. g. ἀπ' ἄρου ׀ a nunc, ἀπὸ μακρόθεν ׀ a longe, ἕως σήμερον usque hodie. d) *Ut, tamquam, quatenus* hebraizando exprimitur formula εἰς ὄνομα, ἐπὶ τῷ ὀνόματι ׀ in nomine. E. g. qui recipit prophetam in nomine prophetae (discipuli) scil. ut prophetam (discipulum); qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo sc. eo quod ille meus sit. e) *Adverbia distributiva* e nominibus derivata sicut apud Hebraeos duplicatione nominis formantur. E. g. πρᾶσαι πρᾶσαι = areolatim, catervatim, ἡμέρα ἡμέρα quotidie (bene graece καθ' ἡμέραν).

6. In articulo.

Articulus in lingua Graeca biblica, sicut in Hebraica, tum rem certam ac definitam, immo cum emphasi dictam significat, tum vim pronominis demonstrativi habet, tum vero sine ulla significatione usurpatur. Plerumque subjectum, aliquando tamen praedicatum designat. Nonnunquam autem omittitur, ubi secundum leges linguae Graecae ponendus est. Ceterum usus articuli etiam apud optimos scriptores Graecos fluctuat.

Interdum articulus loco *pronominis indefiniti* invenitur, et significat: *quidam, aliquis, quis*. E. g. Matth. 12, 29. (τοῦ ἰσχυροῦ), 13, 2 Luc. 8, 5. (ὁ σπειρών); similiter in Hebr. e. g. Gen. 8, 8. et emisit ׀ - ׀ quandam columbam. Aliquando autem articulus sensum generalem habet, = *quicumque, quilibet, unusquisque*. E. g. Rom. 1, 17. (ὁ δίκαιος), conf. Ex. 9, 20.

7. In verbis.

Quum *temporum verbi significatio* in linguis Semiticis aliquantulum sit vaga, *praeteritum et perfectum* saepius inter se permutantur, quod etiam in versionibus occurrit. Frequenter id apud prophetas fit, qui futura tamquam praesentia et plane praeterita contemplantur, vel ea utpote certissima ita depingunt, quasi jam evenissent. (*Perfectum propheticum.*) Deinde quod absolute et omni tempore valet, in sermone hebraizante futuro exprimitur. E. g. Non in solo pane vivit ζήσεται homo (Matth. 4, 4); non erit impossibile apud Deum omne verbum. (Luc. 1, 37.).

Infinitivus in lingua Hebraica *praepositiones ante se* et aliquando objectum directum vel indirectum (nomen vel pronomen) post se admittit, et gerundium vel supinum significat. Idem lingua Graeca hebraizans imitatur. (Latina gerundio vel supino utitur.)

E. g. $\text{בָּבוֹא - אֵלָיו נָתַן הַנְּבִיא}$ in veniendo, (quum veniret, in adventu) ad eum Nathan prophetam (Ps. 50, 2.); בְּלִקְחֶךָ in ire te, quum ires; $\text{אַחֲרַי קָבְרוּ אֶת - אָבִיו}$ post sepelire eum patrem suum, postquam sepelierat (Gen. 50, 14.). Similiter in Graeco infinitivus articulum et praepositiones accipit. E. g. $\text{πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς}$ (Matth. 6, 1.) ad spectari eis, ut videamini ab ipsis; $\text{ἐν τῷ ιεροτεύειν αὐτόν}$, quum sacerdotio fungeretur ille (Luc. 1, 8.); $\text{ἐν τῷ καθεύδειν τοῦς ἀνθρώπους}$ in dormire homines, quum dormirent (Matth. 13, 25.); $\text{μετὰ τὸ παραδοθῆναι τὸν Ἰωάννην}$ postquam traditus erat Joannes (Marc. 1, 14.). Conf. Judic. 1, 1. Luc. 3, 21. etc.

Saepe *ἐγένετο* sicut Hebr. וַיְהִי initio narrationis ponitur *cum infinitivo et nonnunquam cum accusativo*. E. g. $\text{ἐγένετο δὲ . . . διαπορεύεσθαι αὐτόν}$ factum est (quasi casu) ut transiret (Luc. 6, 1.); $\text{ἐγένετο δὲ παιδίσκη πινὰ ἀπαντῆσαι ἡμῖν}$, factum est puellam quandam obviare nobis. (Act. 16, 16.). Simili modo in prophetiis cum infinitivo coniungitur ἔσται erit וְהָיָה .

Frequens est adhuc in lingua Graeca hebraizante usus *infinitivi cum genitivo articuli τοῦ* ad exprimendum gerundium vel infinitivum dependentem. Haec constructio respondet praepositioni Hebraicae לְ , verbum finitum infinitivo adiungenti.

E. g. $\text{ὤμοσεν . . . τοῦ δοῦναι ἡμῖν}$ juravit dare nobis (Luc. 1, 73.); $\text{προπορεύσῃ . . . τοῦ δοῦναι γινῶσιν . . . τῷ λαῷ}$ (Luc. 1, 77.) praeibis ad dandam scientiam plebi; $\text{ἐν τῷ τὸν ὄχλον ἐπιχεισθαι αὐτῷ τοῦ ἀκοῦειν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ}$ in irruendo (quum irrueret) turbam in eum ad audiendum verbum Dei (Luc. 5, 1.); $\text{οὐ γὰρ ἔκρινα τοῦ εἰδέναι τι}$ non iudicavi aliquid scire (I. Cor. 2, 2.). Pro genitivo infinitivi aliquando *εἰς* vel *ἵνα* ponitur; e. g. $\text{τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῶσαι}$ desiderium habens dissolvi. (Phil. 1, 23.).

8. In conjunctionibus.

Lingua Hebraica particularum inops, *conjunctione לְ, et* pro aliis fere omnibus utitur. Ideo sensus conjunctionis et relatio propositionum saepe in incerto manet, nisi contextu defi-

niatur. Specialiter conjunctio וְ, et sequentes habere potest significationes:

et coniungens = *et*, simplex copula.

et narrativum, transitivum vel distinctivum = *autem, deinde, porro, insuper, δέ, ἄρα.*

et concludens = *ergo, igitur, itaque, quaeso, οὖν, ἄρα, ὥστε.*

et causale = *nam, enim, quum causale, γάρ, οὖν, ideo διότι.*

et antitheticum = *autem, sed, tamen, δέ, ἀλλά.*

et epexegeticum seu explicativum = *scilicet, etquidem, nominatim.*

et auctivum = *immo, plane, maxime, imprimis, μάλιστα.*

et contemporale = *quum, dum, ἔως.*

et finale vel consecutivum = *ut, ἵνα.*

et relativum = *qui, quae, quod, ὅς* etc.

et comparativum = *sicut, ὡς, ὅσπερ, ita, οὕτως, sicut — ita, ὡς — καί.*

et apodosis = *ergo, וְ* (Germanicum *so*) duo puncta in periodo; indicat initium propositionis principalis in finem orationis rejectae (apodosis).

Deinde quum conjunctiones causales et finales Hebraicae (וְ, אֲשֶׁר) plerumque etiam consecutionem et effectum significant, hinc etiam conjunctio finalis *ἵνα* in S. Scriptura saepe impletionem vaticiniorum (Matth. 1, 22. Joan. 19, 36.) demonstrat, imo merum effectum etiam non intentum designat. (Marc. 4, 12. Rom. 5, 20.).

Etiam significatio *aliarum conjunctionum* in lingua Graeca hebraizante mutatur. Ita

ἀλλά sed, post negationem = *nisi ei μή, וְ, אִם*; aliquando = *imo*; γάρ aliquando non est causale sed explicans: *scilicet*, vel objiciens, vel vero phrasim omissam supplens;

$\text{εἰ μή, ἐὰν μή, ἐὰν δέ, nisi, si forte, sin autem}$ post negationem = *sed, ἀλλά וְ, אִם, וְ, אִם*;

οὖν = *quod, quam, quo*, post verba affirmandi et negandi = *certe, profecto, sane וְ*; interdum causale, mox objectivum est; aliquando orationis rectae initium significat;

οὐ , non = *ne* prohibens: μή et viceversa; sicut Hebr. לֹא = *ne* et לֹא = *non* permutantur.

9. In praepositionibus.

Praepositiones in lingua Hebr. sunt paucae, ideo earum usus varius et vagus, qui etiam in linguam Graecam biblicam et in linguas versionum transivit. Speciatim